

circa jus divinum, et sacras leges, ab Apostolis perpetuo consensu Ecclesiae accepimus. Secus fit in consuetudine, quæ regulariter constituit novum jus. Engel. h. t. n. 2.

23. *Qua ratione differat consuetudo a præscriptione? Consuetudo nequit induci a particularibus personis, bene tamen præscriptio.* — Queritur V. Quomodo differat consuetudo a præscriptione? Resp. plures passim afferri differentias. Primo siquidem, ac principaliter differunt, quod consuetudo non possit induci a particularibus personis: secus est in præscriptione, quæ cadit inter privatum, et privatum. Et hanc esse substantialem differentiam, tradit Abbas in cap. ult. n. 20, h. t.; Geminianus, consil. 123. *Pro clariori*, in princ. et card. Tuschus, litt. C. concl. 801, Engel h. t. n. 5, et alii.

24. *Ex illa acquiritur publico, ex hac privato. Hæc fit damno unius et lucro alterius: illa cum æquali damno, vel lucro omnium.* — Secundo differunt, quia consuetudo tendit ad inducendum jus commune, seu universaliter omnes afficiens in loco, ubi viget: præscriptio autem respicit acquisitionem juris in particulari. Per hanc quippe nemini acquiritur jus, nisi illi, qui per se, vel per alium, debito tempore usus est. Consuetudo econtra neminem excipit, et extenditur tam ad utentes, quam non utentes: ipsa enim est jus non scriptum universaliter constitutum, et habet vim legis, qualis debet esse communis, can. *Erit autem lex*, dist. 4, et l. 1, ff. de *Legib.* Unde paucis loquendo, ex consuetudine acquiritur publico: ex præscriptione acquiritur privato. Hostiensis in *Summa*. tit. de *Consuetudine*, n. 13; card. Tuschus cit. concl. 801, n. 1; Fagnanus in c. *Venerabili*. n. 26, de *Censibus*; citans alios. Item, præscriptio fit cum damno unius, et lucro alterius: consuetudo autem cum æquali damno, vel lucro omnium. Unde si agatur de tollendo jus uni, et acquirendo alteri, dicitur præscriptio, non consuetudo: quanquam hi termini non raro promiscue usurpentur, card. de Luca, discours. 34, de *Jurisdictione*, n. 28, citans alios.

25. *Ad consuetudinem non requiritur titulus.* — Tertio in præscriptione contra jus requiritur titulus, et bona fides, c. *Si diligenti*, 17, de *Præscriptionib.* ac suo loco amplius dicitur. Econtra ad consuetudinem non requiritur titulus: nullo enim jure hoc cavetur, imo potius oppositum innuitur; eo quod consuetudo sit jus quoddam moribus consti-

tutum, quod habet vim legis, sicque ad eam sufficiat voluntas, et tacitus utentium consensus tempore a jure definito continuatus. Abbas, et Hostiensis, ubi supra. Barbosa in *Collectaneis*. ad cap. ult. n. 21, h. t. citans alios. An autem ad inducendam consuetudinem requiratur bona fides, infra n. 142, et seqq. examinabitur.

26. *Consuetudo est favorabilis, præscriptio odiosa.* — Quarto differunt ex eo: quia consuetudo est favorabilis, præscriptio autem odiosa. Fagnanus in c. *Venerabili*, n. 26, de *Censibus*. Card. de Luca de *Servitutibus*, discours. 28, n. 6; id desumens ex eo: quia præscriptio respicit jus privatum; consuetudo autem jus publicum, seu universale, proportionabiliter et discretive acquirendum.

27. *Et qualis consuetudo sit favorabilis?* — Cæterum hoc, quod consuetudo sit favorabilis, sicque extendenda, intelligendum est de illa, quæ non est contra jus, neque in præjudicium tertii: qualis proinde, utpote nemini præjudicans, extenditur ab uno casu ad alium, arg. l. 1. c. *Quæ sit longa consuetudo*, et l. *De quibus*. ff. de *Legib.* Et si deest propria, attenditur, quæ est in locis vicinis, c. *Super eo*. de *Cognat. spirit.* atque infra n. 163, amplius dicitur. At vero consuetudo contra jus commune est stricti juris, et tantum habet de potentia, quantum de usu et actu: adeoque ultra id, quod actum est, non extenditur. Bartolus in aut. *Quirema*. n. 8. c. de *Sacrosanct. Eccles.*; Mascardus, de *Probationibus*. concl. 423, n. 45; Vallensis h. t. § 3, n. 1; Pirhing eod. n. 15, et alii. Quod ipsum observat Fagnanus in c. *Cum contingat*. n. 10, de *Decimis*, dicens, licet alias consuetudo sit favorabilis, et extendenda, hoc tamen esse verum in materia non multum præjudiciali; alias secus.

28. *Aliæ differentie inter hanc et præscriptionem.* — Differunt ulterius, quia consuetudo erronea nihil juvat: siquidem ad eam inter alia requiritur, ut ex certa scientia, et non per errorem sit inducta, juxta communiter receptam Glossam fin. c. ult. §. *Legitime*, h. t. Econtra præscriptio erronea valet, quia ad hanc sufficit titulus putativus. Rursum differunt, quia præscriptio est actionis, seu petitionis exclusio: consuetudo vero est actionis, seu juris acquisitio. Tacentur aliæ differentie levioris momenti, quas tum Glossa loc. cit., tum Vallensis h. t. § 3, n. 6, et alii doctores passim afferunt.

§ II.

DE CONDITIONIBUS AD CONSUETUDINEM REQUISITIS, ET CUMPRIMIS DE EJUS RATIONABILITATE.

29. *Conditiones consuetudinis plures a Glossa requisiæ.* — Queritur I. Quænam generatim conditiones ad legitimam consuetudinem requirantur? Resp. I. Conditiones ad consuetudinem legitime introducendam requisitæ, præsertim ut ipsamet præjudicet juri communi, plures solent adduci; ut videre est apud citatam Glossam, fin. cap. ult., h. t. ubi ferme decem, vel undecim hujusmodi conditiones distinguit, atque ex diversis textibus juris probare nititur.

30. *Omnes ille reducuntur ad duas, nempe ut consuetudo sit rationabilis, et legitime præscripta.* — Resp. II. Nihilominus ejusmodi conditiones vel re vera non sunt necessariae ad inducendam legitimam consuetudinem, vel commode reducuntur ad duas illas conditiones, quæ referuntur in cit. cap. ult., h. t. ubi dicitur, quod consuetudo non deroget juri naturali, ac divino, nec etiam positivo humano, nisi fuerit «rationabilis, et legitime præscripta.» Verba posteriora citati capituli sic sonant: «Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeant præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime præscripta.» Hæc ibi. Neque in re dissensit Glossa, cit. loc. eo quod in fine videatur recedere ab aliis conditionibus prius a se enumeratis, et solum exigere rationabilitatem, et cursum temporis, sive quod consuetudo sit præscripta. Itaque præfatas duas conditiones præ cæteris examinando, et alias interim differendo, dicemus quod

31. *In declarando quæ consuetudo generatim censeatur rationabilis, nec ne, variant doctores.* — Queritur II. Quænam consuetudo generatim censeatur esse rationabilis, et quæ irrationabilis? Resp. I. Circa hoc magna reperitur doctorum varietas, atque sententiarum diversitas in declarando, quænam consuetudo censeatur rationabilis, et quæ irrationabilis; uti videre est apud Glossam, cap. ult., §. *Rationabilis*, et Abbatem, ibid. n. 5, h. t.; Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. vi; Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 4, n. 14, et alios. Et quidem

32. *Rejicitur sententia Navarri.* — Imprimis Navarrus. consil. 3, de *Censibus*, n. 4 et

nonnulli alii, quos refert Sanchez, cit. n. 14, illam solam consuetudinem aiunt censeri irrationabilem, ita ut præscribi non possit, quæ juri naturali aut divino adversatur. Sed hæc sententia non placet, cum etiam consuetudo illa, quæ a sacris canonibus reprobatur ut corruptela, sit irrationabilis, et nunquam præscribi possit; quamvis ex objecto non pugnet cum jure naturali, aut divino, quinimo per privilegium summi Pontificis possit subsistere, ut infra, 65 et seqq. dicitur. Unde cit. cap. ult., h. t. notanter dicitur, consuetudinem, «ut juri positivo (humano) præjudicium generet, debere esse rationabilem:» quod ultimum superflue apponeretur, si omnis ea consuetudo censeretur rationabilis, quæ juri naturali, aut divino non adversatur: nam quod nulla consuetudo valeat contra jus naturale, et divinum, ibidem jam in prioribus verbis definitum erat.

33. *Aliorum opinio refertur, sed relinquitur.* — Alii volunt, tunc consuetudinem censeri rationabilem, quando de eadem re, de qua est consuetudo, justa esset lex, si qua constitueretur priori mutata. Rationem dant: quia consuetudo instar legis est, et habet vim legis ex tacito consensu; ergo, ut sit rationabilis, debet esse de re honesta, et utili reipublicæ, non minus ac lex. Ita Sanchez, cit. lib. VII, de *Matrim.*, disp. 4, n. 14; Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 3, punct. 2, § 1, n. 1; Bonacina, Barbosa, pluresque alii. Verum hæc responsio, quamvis cæteroque sit bona, videtur explicare rationabilitatem consuetudinis per æque obscurum: illico enim redit quæstio, quænam lex generatim censenda sit rationabilis. Unde dimissis hisce opinionibus, simulque clarius,

34. *Vera sententia statuitur.* — Resp. II. Ea consuetudo generatim loquendo est irrationabilis, quæ vel juri naturali, aut divino adversatur, vel a jure canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, aut occasionem præbet; vel alia ratione communi utilitati perniciosa est: quæ vero in nullo horum deficit, censeatur rationabilis. Ita Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. vi, n. 10; Azorius, part. I, lib. V, c. XVII, quæst. 5; Layman, lib. I, tract. IV, c. XXIV, n. 4, et plures alii, quos citat.

35. *Minus requiritur ad abrogationem, quam ad introductionem juris.* — Ratio posterioris partis est: quia illa, quæ nec juri naturali, aut divino adversantur, neque a sacris canonibus reprobantur, etc., jam se indifferenter habent, ut occurrente aliqua causa, sive præ-

bono communitalis, possint per legem, aut consuetudinem constitui, et multo magis per hanc tolli, seu abrogari. Dicitur notanter, *multo magis*: nam ad juris introductionem requiritur, ut positive ad publicam utilitatem conferat; ad ejusdem vero abrogationem vi contrariæ consuetudinis sufficit, ut hæc communi utilitati non adversetur.

36. *Irrationabilis est consuetudo, quæ juri naturali, aut divino adversatur.* — Prior vero pars probatur inductione. Et quidem consuetudinem illam, quæ juri naturali, aut divino adversatur, esse irrationabilem patet ex cap. ult., h. t., ubi talis consuetudo appellatur corruptela. Unde et Christus tales consuetudines reprobavit, *Matth.*, xv, 3, ibi: *Quare et vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?*

37. *Aut a jure canonico reprobat.* — Deinde, quod consuetudo illa, quæ a jure canonico reprobat, sit censenda irrationabilis, patet ex eo; quia judicare inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram, inter causam et causam, atque discernere virtutem a vitio, veritatem ab errore, salubria pascua a noxiis, vel maxime ad Sedem apostolicam, ipsumque Christi in terris constitutum Vicarium, et conditorem canonum, spectare dignoscitur; ut c. *Per venerabilem*, 13, *Qui filii sint legit.*, et c. *Solitæ*, 6, de *Majorit. et obed.*, et c. *Novit*, 13, de *Judiciis*. Si igitur a canone reprobetur consuetudo, veluti irrationabilis, et corruptela, quis fidelium Christianorum eam audebit dicere rationabilem?

38. *Vel peccandi licentiam, seu occasionem præbet.* — Insuper consuetudinem, quæ peccandi licentiam, vel occasionem præbet, non valere, constat ex c. *Ex parte*, et cap. ult., h. t. cum similibus. Unde hujusmodi consuetudo nutritiva peccati omnimodis est extirpanda, juxta c. *Extirpandæ, de Præbend.*, ibi: «*Extirpandæ consuetudinis vitium Et*» ratio est, quia tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, d. cap. ult., h. t. Simulque «*diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget;*» ut dicitur in c. *Non satis*, 8 et c., *Cum in Ecclesia*, 9, de *Simonía*.

39. *Aut bono communi perniciosa est.* — Tandem consuetudinem, quæ bono communi perniciosa est, esse irrationabilem, ac proinde invalidam, patet ex eo, quia consuetudo pro lege suscipitur; ergo, sicut lex non nisi ob bonum commune reipublicæ ferri potest, can. *Erit autem lex*, dist. 4, ita et consuetudo; et

aliouin tam hæc, quam illa foret injusta, et irrationabilis.

40. *Lex, et contraria consuetudo, possunt simul esse rationabiles ex diverso respectu.* — Dices. Omnis lex debet esse rationabilis, justa, et reipublicæ utilis, cit. can., *Erit autem lex*, dist. 4; ergo hoc ipso quælibet consuetudo legi contraria erit irrationabilis, injusta ac bono communi perniciosa? Resp. neg. consequent. Quia nihil impedit, quod lex secundum unam rationem, et in ordine ad certum finem, vel respectum fuerit rationabilis; simulque consuetudo eidem contraria secundum aliam rationem, ac sub diverso respectu, et fine, etiam sit rationabilis, ut inquit Abbas, cap. ult., n. 6, h. t. Sicut etiam duæ oppositæ sententiæ non raro simul sunt probabiles; atque duæ contrariæ leges (prout accidit in mutatione, et abrogatione legum) solent esse rationabiles, ut c. *Non debet, de Consanguin. et affinit.*

41. *An hæc vel illa in particulari consuetudo sit rationabilis, nec ne, judicis arbitrio relinquatur.* — Resp. III. Loquendo in specie, sive in casibus particularibus, num hæc vel illa consuetudo sit rationabilis, nec ne, id prudentis judicis arbitrio relinquendum est. Ita Glossa, in cap. I, §. *Rationabilia de Constitut.*, in 6. Abbas, cap. ult., n. 5, h. t.; Hostiensis, et alii communiter. Ratio est, quia diversis rationibus inspectis bene potest nonnunquam consuetudo hinc videri rationabilis, illinc irrationabilis: ut si ex objecto spectata, sit quidem honesta, et bono communi conducent, tamen ob supervenientes circumstantias non nihil vitietur, aut econtra: unde tunc judicis arbitrio id relinquatur discutiendum, quando in jure non reperitur decisum.

42. *Ad hoc judicandum, quid judex attendere debeat?* — In praxi autem oportet omnia diligenter perpendere, et ponderare rationes hinc inde militantes, attendendo simul ad consuetudines illas, quæ in jure reperiuntur vel approbatæ, vel rejectæ ac improbatæ; et sicuti prudens judex viderit consuetudinem illam, de cujus rationabilitate controversatur, magis accedere ad aliam similem, quæ quandam habet juris assistentiam, vel resistantiam, secundum eam judicabit, arg. I. *Non possunt*, ff. de *Legib.* Abbas, cit. cap. ult., n. 5, et Joan. Andreas, ibid. h. t.

43. *In dubio præsumitur consuetudo rationabilis.* — Quod si vero pensatis omnibus adhuc remaneat dubium super rationabilitate consuetudinis, præsumenda erit rationabilis, ac

bono communi expediens. In dubio enim favor consuetudinis, veluti in possessione existentis, erit firmandus, juxta reg. 65 juris in 6, ac tradit Baldus, c. *Cum venissent*, n. 5, *De eo, qui mittitur in possess.*, dictam præsumptionem ulterius suadens ex eo, quia sic civibus placuit, arg. l. I, juncta Glossa, §. *Ratus*, ff. de *Postuland.*, ubi pro ratione legis affertur judicium, et voluntas legislatoris, qui ratus fuit ita expedire. Idem tenent Suarez, cit. lib. VII, de *Legib.*, cap. vi, n. 15; Castro Palao, cit. § 1, n. 5, et alii.

44. *Tribus modis potest jus resistere consuetudini.* — Quæritur III. Utrum consuetudo, cui jus resistit, hoc ipso sit censenda irrationabilis, ac proinde invalida? In resolutione hujus quæstionis sunt distinguendi tres diversi modi, quibus jus potest resistere consuetudini: quia aut hoc fit reprobando consuetudinem ut corruptelam; aut eam simpliciter prohibendo, ne inducatur; aut clausulam derogatoriam adhibendo. Quo prænotato,

45. *Si jus reprobat consuetudinem corruptelam, censetur ipsa irrationabilis, ac nullo tempore induci potest.* — Resp. I. Quando jus, sive lex resistit consuetudini ipsam penitus reprobando tanquam irrationabilem, et corruptelam, tunc ea pro tali est habenda, ac nullo tempore etiam immemorabili induci potest. Ita communis; atque desumitur, ex c. *Cum venerabilis*, 7, et cap. ult., h. t., ubi dicitur, quod talis «*non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda;*» ac proinde, quancumque tempore duraverit, imposterum non servanda. Accedunt dicta, et rationes supra, n. 37, allatæ.

46. *Nisi nova superveniat causa tollens iniquitatem, quæ prius ei inesse videbatur.* — Limita nihilominus hanc conclusionem, ipsamque intellige; nisi nova superveniat causa, tollens iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, quando legislator ipsam ut iniquam reprobat. Nam frequens, et verissima sententia habet, quoties lex reprobat consuetudinem ut iniquam, sicque ipsi etiam futuræ derogat, posse ex nova causa, quæ tollit iniquitatem illam, induci consuetudinem adversus eam legem; prout notavit Glossa, in cap. I, §. *Expresse de Constitut.*, in 6, juncta Glossa marginali, ibi: «*Nisi consuetudo juvaretur nova ratione.*» Abbas, cap. ult., n. 24, h. t., id probans, ex c. *Non debet, de Consang. et affinit.*, ubi dicitur non debere reprehensibile judicari si secundum varietatem temporum (sive

rationum) leges mutantur. Et l. *Si hominem*, ff. *Mandati*, ubi generalis procurator potest ex justa causa de novo superveniente, vel antea ignorata, mutare ea, quæ a domino specialiter sunt provisa. Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 4, n. 14, allegans plures alios. Idem, præter jura jam allegata, probatur ex eo: quia ratio legis, est anima legis; ergo superveniente nova ratione, sive causa, quæ tollit iniquitatem prioris consuetudinis, censetur etiam tolli ipsamet lex hanc reprobanda, arg. c., *Intelligentia, de Verb. signif.*, cum similibus.

47. *Si lex prohibet induci consuetudinem, hæc non potest induci tempore ordinario.* — Resp. II. Si lex simpliciter prohibeat consuetudinem contra legem induci, eam tamen veluti irrationabilem non damnet, non valet consuetudo postea contra ejusmodi legem tempore ordinario inducta, bene tamen consuetudo immemorialis. Prior pars est Abbat. cap. II, n. 7 et 8, de *Probat.*; Bartoli, lib. *De quibus*, in 10, *Opposit. ff. de Legib.*; Covarruvias, lib. III, *Variar. resolut.*, cap. XIII, n. 4; Layman, lib. I, tract. IV, cap. xxiv, num. 7, et aliorum; quamvis non desint oppositum tenentes, ac num. 50, allegandi. Ratio est, quia in tali casu deest consensus legalis, ad consuetudinis valorem necessario requisitus: Lex enim semper loquitur; arg. l. *Arriani*, C. de *Hæretic.*, et consequenter, si prohibet induci consuetudinem in contrarium, eam semper prohibet, ac reprobat.

48. *Limitatur hoc.* — Hoc tamen limita cum Abbate, cit. cap. II, n. 8, et aliis: nisi superveniat nova causa, vel innotescat antiqua aliqua, quæ si antea jam extitisset, aut detecta fuisset, verisimiliter princeps talem consuetudinem non prohibuisset; et hoc per jura, et rationes, n. 46, allatas. Deinde id ipsum limita cum Layman, cit. n. 7, quando princeps, consuetudinis de novo introducendæ conscius, eam non prohibet, cum prohibere possit: tunc enim non deest consensus ejus ad contrariam consuetudinem introducendam requisitus, quin potius ipsemet princeps tacite priorem legem revocare censetur.

49. *Valet tamen consuetudo immemorialis postmodum inducta.* — Altera pars conclusionis, videlicet valituram consuetudinem immemorabilem, si talis postmodum induceretur, traditur a Covarruvias, cit. cap. XIII, n. 5, post Baldum, l. unic., C. de *Annonis*, et alios; idemque tenet Alexander, consil. 6, n. 4, vol. I; Barbosa, clausul. 87, n. 4; Mascar-

das, de Probationibus, concl. 424, numer. 4; Layman, cit. numer. 7, cum aliis. Siquidem consuetudo immemorialis habet maiorem vim, et auctoritatem, quam aliæ consuetudines; ut patet ex l. *Hoc iure*, § *Ductus aquæ*, ff. de *Aqua quotidian.*; ergo necesse est, ut ei specialiter ac expresse derogetur, alioquin valde. Exemplum huius extat in c. *Si Episcopus*, de *Pœnit. et remiss.*, in 6, ubi dicitur nulla posse consuetudine induci, quod aliquis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere confessarium; et tamen ante concilium Tridentinum simplices presbyteri sibi invicem confitebantur, suffragante videlicet ipsis consuetudine immemoriali, quam postmodum expresse revocavit concilium Trident., sess. 23, cap. xv, de *Reformat.* Barbosa, loc. cit., num. 5.

50. *Contraria quorundam doctorum sententia quoad priorem partem refertur.* — Quinimo non pauci doctores, ut Navarrus, t. I. *Comment. de Spotiis clericorum*, § 14, n. 8; Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. ix, n. 21; Azorius, part. I, lib. V, cap. xvii, quæst. 10, volunt, quod si lex simpliciter prohibeat introduci consuetudinem, non vero eam damnet ut irrationabilem, adhuc contra eam tempore ordinario præscribi possit. Quia, inquit Navarrus, loc. cit., licet ex tali prohibitione pateat contrarium aliqua ratione magis placere legislatori; nihilominus, dum consuetudo illa nec directe, nec indirecte contraria existit legi naturali, aut divinæ, hoc ipso veluti rationabilis tempore ordinario præscribi atque induci poterit. Verum istud Navarri fundamentum jam supra n. 32, rejectum fuit.

51. *Clausula prohibitoria inducendæ consuetudinis nequit referrî ad solos indices.* — Quod si forsitan non nemo dicat ejusmodi clausulam prohibitoriam solummodo ad iudices referrî, prohibendô videlicet ipsis, ne patiantur consuetudinem aliquam adversus legem induci. Contra est, tum quia hoc est generale omnibus legibus: nam parum est jura condere, nisi sit, qui eadem teneantur; c. *Ubi periculum*, § *Prætera, de Elect.*, in 6; tum quia clausula simpliciter prohibitoria consuetudinis inducendæ, vi verborum aliud importat, eo quod prohibeatur ipsa consuetudo secundum se, neque dubium sit, quin legislator eam simpliciter prohibere possit: atqui a propria verborum significatione non est recedendum, quæ gravi causa, ut dictum tit. *De Constitutionibus*, § 16, n. 389, 390, et seqq.

52. *Aliæ quorundam distinctio non improbabilis circa hoc.* — Aliæ ratione incedit Pirhing, l. t. n. 40; post Molinam, tract. II, just. et jur. disp. 77, n. 4; et alios, dicendô, quod ad inducendum via præscriptionis consuetudinem contra talem legem, sine titulo requiratur tempus immemoriale, ut dictum: tamen cum titulo saltem colorato, et præsumpto, sufficiat tempus quadraginta annorum. arg. cap. 1, de *Præscript.*, in 6, ubi sic expresse statutum habetur de præscriptione, quando jus commune, vel præsumptio est contra præscribentem. Et hæc sententia non est improbabilis: licet enim ad consuetudinem non necessario requiratur titulus, ut dictum n. 25, negari tamen non potest, quin fortior sit consuetudo, quæ potest alligare titulum, quam quæ talem non habet; cum hoc ipsum expresse cautum habeatur de præscriptione, cit. cap. 1, eod. in 6.

53. *Lex derogatoria consuetudinis sub clausula, Nulla obstante consuetudine, tollit consuetudines præsentis, non futuras.* — Resp. III. Quando lex derogatoria consuetudinis utitur hac clausula, « Consuetudine contraria quolibet non obstante, » et nihil aliud exprimit, videtur tantum tollere consuetudines tempore conditæ legis existentes, non item se extendere ad futuras; idèque nihil obstat, adversus talem legem induci consuetudinem de novo. Ita Glossa in Clem. *Statutum*, § *Consuetudine, de Elect.* Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. vii; Layman, cit. n. 7; Azorius, ubi supra, quæst. 10; Engel, l. t. n. 23, allegans magis communem doctorum Jason I. *De quibus*, n. 55, ff. de *Legib.* citans insuper Bartolum, Baldum, Angelum, et alios; quamvis non desint oppositum tenentes, ut Barbosa, clausul. 87, n. 13; Sanchez, lib. VII, de *Matrim.* disp. 4, n. 13; Castro Palao, t. I, tract. III, disp. 3, punct. 4, § 2, num. 8; citans alios. Ratio conclusionis est: quia verba illa, « Nulla obstante consuetudine, » commode possunt intelligi de ea, quæ extat tempore conditæ legis; ergo de hac dumtaxat debent intelligi: tum quia correctoria juris, veluti odiosa, non sunt extendenda; tum quia si legislator voluisset comprehendere consuetudinem etiam futuram, potuisset expressisse. Accedit, quod verba talis legis habeant dumtaxat vim juris scripti: atqui huic per novam contrariam consuetudinem potest imposterum derogari, nisi aliud exprimat, ergo et illi.

54. *Solvitur objectio.* — Dices: Lex ex sua natura trahitur ad casus futuros, cap. ult. de

Constitut. et l. *Leges C. de Legib.* ergo hoc ipsum oportet dicere de lege habente insertam clausulam illam, « Nulla obstante consuetudine. » Accedit c. *Ad nostram*, 3, h. t. ubi patet ejusmodi clausulam extendi etiam ad consuetudinem futuram. Resp. hoc totum procedere pro tempore illo, quo nova consuetudo necdum legitime fuit præscripta: alioquin autem sicuti quævis alia lex per contrariam consuetudinem, legitimo tempore continuatam, denuo abrogatur; ita etiam erit dicendum de lege, clausulam illam insertam habente, nisi aliud in eadem expressum habeatur. Ad c. *Ad nostram*, 3, h. t. dicitur ibi sermonem esse de consuetudine irrationabili, ut liquet ex textu: unde non mirum, quod in illo casu clausula memorata extendatur etiam ad consuetudinem futuram.

55. *Quid dicendum de consuetudine immemoriali? Remissive.* — Cæterum qualis consuetudo per dictam clausulam, « Nulla obstante consuetudine, » revocetur, et an etiam immemorialis, dicetur inferius, n. 184 et 185, et seqq. Sufficit impræsentiarum annotasse, quod dicta clausula generaliter loquens, ad consuetudinem imposterum inducendam, non extendatur, neque hanc veluti irrationabilem, damnare vincatur; nisi aliud quid addatur, aut hoc ipsum aliunde appareat.

§ III.

DE NONNULLIS CONSUETUDINIBUS IRRATIONABILIBUS, A JURE REPROBATIS.

56. *Consuetudo per quam rumpitur nervus disciplinae ecclesiasticae non valet.* — Quæritur I. Utrum valeat consuetudo, per quam rumpitur nervus disciplinae ecclesiasticae? Resp. negative, estque communis doctorum. Patet hoc ex c. *Cum inter*, 5, h. t. ibi: « Nos igitur cognito, quod ex tali consuetudine (non servandi interdictum generale) si qua foret, disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae, ipsam duximus irritandam. » Ubi Glossa finalis sic concludit: « Et sic patet, quod ubicumque fit aliquid contra ecclesiasticam disciplinam, sive nervum Ecclesiae, non habet locum præscriptio. »

57. *Disciplina ecclesiastica, quæ? Cur appellatur nervus.* — Porro per disciplinam ecclesiasticam intelligitur observantia honorum morum, atque ordinis ecclesiasticae hierarchiæ; qualis procul dubio disrumpitur atque

violatur, per consuetudinem non servandi interdictum generale; ac proinde hæc, veluti irrationabilis, et corruptela potius quam vera consuetudo, meritissime reprobat. Additur autem, « Nervus ecclesiasticae disciplinae: » quia per hanc fideles conservantur in suo officio, atque ab excessibus seu peccatis retrahuntur, sicuti nervis membra corporis humani continentur, ut officia sua rite præstare valeant. Suarez, lib. VII, de *Legib.*, cap. vi, num. 8. Vel potestas sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicitur nervosa ex eo, quia non tam facile dimittitur, can. *Absit*, dist. 50. Aut quia non frangitur, ex causa concedendo dispensationem, licet in cortice vulneretur; ut loquitur Archidiaconus in c. *Fraternitatis*, dist. 34, num. 2, et Egnanus in c. *Cum venerabilis*, num. 4, h. t.

58. *Irritandum quandoque dicitur id, quod ipso jure est irritum.* — Quod si objicias contra conclusionem. In cit. cap. *Cum inter*, h. t. non dicitur memoratam ibi consuetudinem esse irritam, sed irritandam; ergo hæc antecedenter valebat. Resp. neg. consequenti. Siquidem non est infrequens in jure, ut id, quod irritum est, dicatur irritandum, id est irritum et inane declarandum. Sic quippe in simili habetur c. *Cum dilectus*, 8, h. t. « Electionem (de qua est sermo, fueratque a suspensis celebrata) justitia cassavimus exigente; » id est, cassam nuntiavimus, ut explicat ibidem Glossa communiter recepta, vers. *Cassavimus*. Sic etiam Glossa fin. c. *Pervenit*, 2, de *Jurejurand.* explicat verbum illud, « quem absolvimus; » et probat id esse intelligendum, « de facto ad cautelam: » vel exponendum, « absolvimus, id est, absolutum esse ostendimus. » Concordant dicta superius, tit. *de Constitutionibus*, § XI, num. 252.

59. *Consuetudo, per quam impeditur correctio morum, non valet.* — Quæritur II. Quid dicendum de valore consuetudinis, per quam impeditur correctio morum? Resp. Consuetudo illa non valet, quæ morum reformationem, et correctionem impedit. Ita communis; et clare habetur in c. *Irrefragabilis*, 13, de *Offic. Ordinari.* ibi: « Ut autem correctionis, et reformationis officium (prelati ecclesiarum) libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire. » Concordat. c. *Cum ex officio*, 16, de *Præscript.* ibi: « Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, » etc.